DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

QUAM,

ANNUENTE, SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI.

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINÆ HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

FRANCISCUS PEYTON,

VIRGINENSIS.

AD DIEM 12 SEPTEMBRIS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI,

CUM PRIVILEGIO,

APUD ROBERTUM ALLAN.

MDCCXVCI.

VIRO EXIMIO,

GUSTAVO RICARDO BROWN, M. D.

ARTEM SALUTIFERAM

APUD ROSE HILL

IN MARYLANDIA,

FELICITUR EXERCENTI,

QUO DUCE

PRIMA MEDICINÆ ELEMENTA ADDIDICI,

HOC TENTAMEN

STUDIORUM PRIMITIAS,

GRATI ANIMI INDICIUM

CONSECRO,

FRANCISCUS PEYTON.

ERRATA.

Pag. 10.	lin. 3.	*pro* delerium	*lege* delirium.
—	— 7.	— delerium	— delirium.
— 14.	— 4.	— putrido	— putredo.
— 16.	— 19.	— venenis	— veneris.
— 18.	— 2.	— veriſimilibus	— veriſimilius.
— 21.	— 8.	— coriza	— coryza.
—	— 9.	— gonorrhæa	— gonorrhœa.
— 24.	— 3.	— diarrhœæ	— diarrhœa.
— 25.	— 16.	— vel	— fel.
— 26.	— 13.	— fætor	— fœtor.
— 29.	— 12.	— putridinem	— putredinem.
— 32.	— 3.	— faciſſenda	— faceſſenda.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

F. PEYTON *Auctore.*

Hoc malum apud Græcos δυσεντερια apud Romanos ſcriptores tormina vel difficultas inteſtinorum appellatur: id vero diarrhœæ aliiſque inteſtinorum affectionibus confuderunt: Cel. Akenside, qui anno 1764 de Dyſenteria commentarium Londini edidit, illam inteſtinorum rheumatiſmum vocat.

A His

His autem omnibus utpote parum accuratis diutius immorari vix operæ pretium eſt: devenimus igitur ad ſcriptores recentiores inter quos CULLENUS, SYDENHAMI veſtigia premens præcipue eminet, morbumque ſequenti definitione, quæ præcipua ejus ſigna complectitur, ab omnibus aliis clare ſecrevit.

"Pyrexia contagioſa, dejectiones frequentes
"mucoſæ vel ſanguinolentæ, retentis plerumque
"fecibus alvinis, tormina, teneſmus."

VARIAT.

I. VERMIBUS COMITATA.

II. DEJECTIS MOLECULIS CARNOSIS VEL SEBACIIS.

III. FEBRE INTERMITTENTE COMITATA.

IV. SINE SÁNGUINE.

V. MILIARIA COMITATA.

Cum autem morbi fere cujuſlibet facies in diverſis ægris ſæpe adeo varia ſit, ut intra definitionis limites depingi non poſſit, has varietates, plenam morbi hiſtoriam tradendo, fuſius exequamur oportet.

MORBI HISTORIA.

Hæc peſtis plerumque exeunte æſtate, vel ineunte autumno, viget ; ſed aliquando veris initio, vel etiam maturius prodit,—" Si nempe aura calidior intemperantiori gelu derepente ſoluto, " mox ſupervenerit * ;"—aliquandoque etiam hiemis initio ſe oſtendit.

Unum, alterumve menſem, durare ſolet ; hiemis enim frigore paulatim reprimitur, donec tandem evaneſcit.

Quo calidior, ac ſiccior fuerit æſtas, tempeſtate ſimul humida hujus finem, vel autumnum excipiente, eo latius hæc peſtilentia graſſari ſolet.

Dyſen-

* Sydenham. *De Morbis Acutis*, p. 178. Lugd. Batav. 1740.

Dyſenteria varia forma adoritur: nonnunquam ab horrore, cum ſumma debilitate, laſſitudine, cibi faſtidio, ſapore amaro, et non raro a fellis vomitione incipit: hæc ſigna brevi excipiunt caloris ſenſus, capitis, dorſi, et lumborum, dolor, et pulſus arteriarum frequentes.

Pyrexia varia eſt; modo gravior, modo levior, alias tertianæ remittentis, alias diatheſios phlogiſticæ, ſæpius autem putridæ, indiciis inſignitur; hæcque morbum per totum ejus curriculum, præſertim ſi funeſtus evaſurus ſit, comitari ſolet: modo autem pyrexia penitus fere decedit, ſignis malo propriis diu poſtea perſtantibus.

Eſt autem ubi morbus, nullis fere ſignis pyrexiæ antecedentibus, inchoat; jamque diarrhœæ inſtar, vel dejectione frequente ac fellea exorditur.

Sub morbi initium ſingultus nonnunquam urget, vel alvus præter ſolitum aſtricta eſt; jamque

ægrotans

ægrotans torminibus corripitur modo fixis, modo erraticis, quæ a parte umbilici ſuperiore deorſum, hincve ſurſum vibrantur; alvumque ſimul, ſed incaſſum dejicere molitur, et ingenti teneſmo cruciatus nihil ſere præter flatum, mucumque ſanguine tinctum, exprimere poteſt: jamque anorexia, nauſea, ac vomitus adſunt.

Fæces alvinæ parca admodum quantitate excernuntur, globuloſque qui ſcybala appellantur referunt, et colorem ac ſpiſſitatem haud parum mutantur: color enim plerumque fuſcus ac flavus eſt.

In pleriſque autem exemplis, a teneſmo, torminibus comitantibus, morbus incipere ſolet: tormina quidem interdum penitus deſunt; ſed deſidendi cupiditas plus minus adeſt: hæc ſigna morbi progreſſu graviora fiunt.

Quacunque vero forma inceperit malum, dejec-

tiones

tiones brevi eædem fere fiunt: conſtant enim maxima ex parte e muco ſpumoſo plus minus fætido, ac ſanguine tincto: merus ſanguis, idque haud parva quidam quantitate, interdum profunditur, ita ut æger nonnunquam in ſummo periculo verſetur, imo aliquando e medio tollatur * brevi tempore poſt morbum inchoatum ſtercus naturale raro dejicitur, niſi ſub forma globulorum, quæ in coli cellulis induruere: hi non niſi gravi niſu atque torminibus, idque parva quantitate excernuntur; quocunque vero modo, ſive naturæ, ſive medicamenti purgantis, beneficio exinaniuntur, omnia ſigna, ſed non ſemper, aliquandiu mitigari ſolent.

In quibuſdam morbi exemplis dejiciuntur moleculæ adipem caſeumve referentes, et membranulæ vel partes tunicæ villoſæ inteſtinorum abraſæ, quæ puri, ſanieive putridæ, commiſcentur.

Morbi

* Vid. Mosely *On Tropical Diſeaſes*, p. 169.

Morbi decurſu lingua muco modo albido, modo fuſco obducitur, et finem verſus fit arida, et nigricans; jamque ſitis inexplebilis, oriſque ſapor ingratus urgent: morbo enim progrediente fellis vomitio iterari ſolet; ſomnus dirâ deſidendi cupiditate aſſidue abrumpitur. Dolores in diverſis abdominis partibus a flatu oriundi haud raro ſentiuntur, et circa coſtas ſpurias torquentes, ſpiritum difficilem reddunt *.

Morbo inveterato, ani prolapſus, et ſtranguria, haud raro ſuperveniunt, et ſæpe lienteria; alimenta enim parum mutata celeritur dejiciuntur.

Arteriarum pulſus varii obſervantur, ſæpe tardi, ac debiles; exceptis quibuſdam caſibus, qui verno tempore contingunt, quando morbus robuſtos, ac bene valentes corripit; pyrexia ſub noctu aucta, mane verſus remittente.

Hæ

* Cleghorn *on the Diſeaſes of Minorca.*

Hæ ſunt formæ maximæ communes quibus dyſenteria incipit ac progreditur; ſed plus minus in diverſis hominibus variat, pro diverſitate pyrexiæ, et pro habitu, aliiſque ægrotantium propriis.

Si febris ſit levis, aut nulla; morbus in menſes protrahi ſolet: et tandem in diarrhœam, quæ nonnunquam lienteriæ ſignis comitatur, deſinit *; ſi vero inflammationis, aut putredinis ſigna gravia ſint, paucis diebus exitum lethalem habere ſolet.

Omnia ſigna, ſi morbus funeſtus evaſurus ſit, augentur: tormina et dejectiones adeo frequentia evadunt, ut dolores, non niſi morte inſtante, remittant, dejectiones fætorem intolerandum diffundunt et haud raro, invito ægro, elabuntur. Pulſus frequentiores, ac debiliores fiunt. In quibuſdam exemplis gravioribus typhus nunquam abeſt.

* Cullen's *Firſt Lines*, Vol. III. § 106.

Modo perpetua in ſomnum proclivitas, et interdum etiam morbi initio convulſiones adſunt. In caſibus levioribus delerium primis morbi diebus urgere fertur *.

Morbo in finem flexo, lingua, ac dentes, ſi grave periculum inſtet, colorem nigricantem aut fuſcum adipiſcuntur; cutiſque ſicca ac calida fit; delerium, convulſiones, ſingultus, ſubſultus tendinum, petechiæ, et aliquando oris, ac faucium apthæ ſupervenire ſolent.

In aliis exemplis dolores rheumatiſmi inſtar, varias abdominis, ac artuum, partes afficiunt, et ſumma macies adeſt: ingeſta vel leviſſima rejiciuntur, et ingens anxietas et præcordiorum oppreſſio ſentiuntur; tormina etiam augentur, nec etiamſi ægrotans deſederit, mitigantur.

Dejectiones jam frequentiores evadunt; et fætor,

* Zimmerman, p. 3,——7.

tor, præſertim ſi inteſtina gangræna afficiantur, plane intolerandus ſit, ante vero quam hoc evenit, dejectiones nigræ et oleoſæ obſervantur; et una cum his carunculæ lividæ dejiciuntur, urina ſimul limpida, parca, et pallida, redditur.

Tormina quæ fere hactenus intoleranda erant, jam ceſſant; pulſus intermittit; ſingultus ſupervenit; ſudor gelidus ac viſcidus prorumpit; urina ac ſtercus, inſcio ægro, elabuntur; devorandi facultas ſit difficilis; corporis extrema frigent; viſus deficit, vel minuitur; et mors tandem miſeriæ finem imponit.

Horum ſignorum plura vel pauciora mortem antecedunt; omnia enim nunquam fere in eodem ægro obſervantur.

Morbi duratio incerta eſt; ægrotans alias quarto, vel quinto morbi die, alias vero, non niſi deci-

mo ſexto, vel decimo ſeptimo extinguitur: nec raro multo ſerius opprimitur.

Dyſenteria interdum ſponte ſolvitur, torminibus, et crebra deſidendi cupiditate paulatim imminutis, et dejectionibus ſpiſſitudinem naturalem ſenſim, ſimul recuperantibus.

Ad morbi hiſtoriam pleniorem reddendam ſpecies cadaverum inciſione inventæ hic loci nobis ſubjiciendæ videntur.

Inteſtina craſſa hujus peſtilentiæ plerumque ſedes ſunt; tormina quæ ſub morbi initium in totum abdomen diffunduntur, poſt paucos dies in hypogaſtrio ſolo percipiuntur, ægerque dolorem in coli fine, vel recti initio, queritur; hinc inteſtina ampliora plurimum detrimenti plerumque capiunt: inflammatione, gangræna, vel utraque fere conſtanter affecta inveniuntur. Colon et rectum ſæpiſſime laborant; inflammata, ulcerata, et aliquan-

do

do conſtricta comperiuntur; tunicæ eorundem præter naturam craſſæ obſervatæ ſunt, ſpeciem nigricantem, ac putridam præ ſe ferentes. Tunica villoſa haud raro indurata, perdita, vel exeſa inventa eſt. Coli cavum multis in locis tumoribus exiguis puſtulas variolarum, quando numeroſæ ſunt, referentibus anguſtatur. Inteſtina tenuia ſæpe præter naturam ſibi invicem adhærent; ileum interdum ulcuſculis numeroſis parum a ſe invicem diſtantibus obſideri viſum eſt.

Bontius ſe veſiculam ſelleam humore albido diſtentam, nullo ſimul bilis veſtigio conſpiciendo, comperiſſe refert. Peritoneum præter naturam craſſum inteſtinis ſæpe adhæret; et meſenterii glandulæ haud parum tumeſcunt, nec non veſica urinæ cæteraque viſcera haud parum affecta inveniuntur. Profeſſor noſter Monro qui hujus mali naturæ haud parum luminis offudit, plurima harum rerum ſpecimena in prælectionibus ſuis egregiis quotannis demonſtrat.

DE CAUSIS REMOTIS.

Dyſenteriam quodammodo a putridine pendere hinc jure forſan colligere fas eſt, quod his anni tempeſtatibus ac locis, ubi putrido maxime dominatur, potiſſimum vigeat, et febribus intermittentibus ac putridis haud raro comitetur. Hoc confirmari videtur, quod in quibuſdam exemplis dyſenteria in tertianam remittentem, et vice verſa, mutatur: in hujuſmodi intermittentium exemplis, dejectiones frequentiores et tormina graviora paroxiſmos comitari obſervatum eſt *.

Hæc omnia, ut quibuſdam medicis videtur, hos duos

* Vid. Mosely *on Tropical Diſeaſes.*

duos morbos ex iiſdem cauſis remotis pendere veriſimile reddunt: huic rei fidem facit, quod ambo excretionibus fellis copioſis mitigantur: cum autem cholera iiſdem rebus circumſtantibus, dyſenteriæ tamen ſignis deſtituta, plerumque ſe oſtendat, num aliquis fellis conditionem inter et dyſenteriam nexus intercedat, non facile ſtatueris.

Cauſæ vero remotæ, quæ admodum variæ ſunt, in prædiſponentes et excitantes diſtribui ſolent, primum locum ſi ordinem ſpectes ſibi vindicant

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

His merito annumeranda ſunt omnia quæ corpus infirmant; qualia ſunt aër frigidus ac humidus, vel calidus et humidus; aëris liberioris defectus; in locis enim humilibus, paludoſis, ac ſilvoſis,

voſis, in quibus aër propter variarum rerum corruptionem nocivus fit, dyſenteria haud raro per populum graſſatur; vapores putridi frugum aut cadaverum putreſcentium, et cibus parum nutriens; hinc caſtra, urbes obſeſſas, et claſſes, ſæpe infeſtat, milites enim in caſtris calori diurno, et frigori ac humori nocturnis, quæ magna vi in corpore debilitando pollent, perpetuo objiciuntur: et nautæ, quippe qui ſæpe aqua putrida, et cibo animali ſalito, et parum nutriente, victitare ſolent, et aëri impuro, ob juſto plures in eadem navi coarctatos morbo haud raro afficiuntur. In civitatibus quoque obſeſſis, ubi vapores putridi e cadaveribus ſub dio putreſcentibus oriuntur, dyſenteria vigere ſolet.

Præter has, plurimæ aliæ cauſæ exiſtunt, quæ proclivitati in hanc peſtilentiam favent, harum præcipuæ ſunt animus demiſſus, exercitatio corporis violenta, liquorum inebriantium, ac venenis abuſus,

abuſus qui corpus admodum infirmum et irritabile reddit.

Cauſa excitans eſt contagio peculiaris, cujus natura, et operandi modus nos latet.

Num morbus ſine contagione oriatur inter medicos lis eſt. WARDROPE Bello Americano dyſenteriam in caſtris Britannicis ex humore ſolo, nulla cauſa, cur contagionem adeſſe ſuſpicaretur exiſtente, oriri affirmat.

Nec deſunt qui morbum a frigore admoto proficiſci opinantur. Nonnulli affirmant ad INDIAM OCCIDENTALEM recens advectos ex fructibus, et immaturo arundinis ſacchariferæ ſucco, immodice ſumptis, dyſenteria correptos fuiſſe. Et denique alii auctores ſunt vapores rerum animalium putridos pro cauſa excitante habendos.

Nobis autem fere perſuaſum eſt, hæc omnia pro

cauſis excitantibus minime eſſe habenda: nonne multo veriſimilibus eſt contagionem in his caſibus ſublatuiſſe actionis expertem donec vapores putridi, humor, frigus, et fructus immaturi corpori admota, debilitatem intulerunt? Signa enim dyſenteriæ ſunt ſemper fere eadem; cauſa igitur excitans, quam contagioſam eſſe omnes fere fatentur, ſemper eadem ſit oportet.

DE

DE SIGNORUM RATIONE.

Hanc argumenti partem, quippe cui vires meas impares eſſe fateor, ſilentio præterire vellem; nulla enim nobis ſunt principia, quibus prælucentibus, ratio reddi poteſt, quare dyſenteriæ, aliorumque morborum contagiones eundem affectum, eadem phœnomena, ſpecialemque partis affectionem, ſingulæ ſuam conſtanter edant.

Sunt qui opinantur ſe rei rationem reddere affirmando debilitatem contagionis viribus inductam eſſe morbi cauſam proximam; hæc autem opinio, quippe quæ, ſi vera foret, ſignorum magni morborum numeri, natura et ſignis repugnantium, rationem reddere debet, minime admittenda eſt.

Alii putant ſe nodum ſolvere, ponendo contagionem actione *ſpecifica*, et ſibi propria, effectúm edere: hujuſmodi autem rei explicatio nihil aliud quam ignorantiam celandi artificium habenda eſt.

Ex cadaverum ſectione, ut ſupra oſtendimus, conſtat inteſtina craſſiora dyſenteria laborantium inflammatione affici; ulcerata enim, immo gangræna affecta, et præter naturam craſſa, inventa fuere. His principiis innixus Profeſſor Monro rei Pathologicæ facile princeps, tunicæ villoſæ inflammationem pro morbi cauſa proxima habet.

Hæc autem inflammatio neque ad actuoſam illam, quæ *enteritis* vocatur, neque ad illam, quæ *paſſiva* nuncupatur, referri poteſt: inflammationes enim diverſæ ſunt pro diverſitate cauſæ excitantis, et natura partis affectæ: ſic v. g. in

in angina maligna inflammatio multum diſtat ab illa, quæ in cynanche tonſillari obſervatur: hic loci multa alia exempla afferri potuiſſent ad probandum inflammationem haud parum variare, prout cauſa excitans erit diverſa. Nec minus variat inflammatio prout pars affecta fabrica et functione diverſa eſt. v. g. ſi pars inflammata ſit ſuperficies ſecernens, uti in coriza, aut gonorrhœa, ſit, ſigna et ſequelæ haud parum diſcrepant ab his, quæ inflammationi partium quarum ſabrica et functiones diverſæ ſunt, ſe adjungere ſolent.

His poſitis, videmus, quare tunicæ villoſæ inflammatio hac contagione inducta, natura et ſignis diverſa ſit ab illa, quæ *enteritidem* comitatur: cauſæ enim excitantes diverſæ ſunt, pars quoque affecta diverſa; in dyſenteria enim pars affecta, ſcilicet tunica villoſa, eſt ſuperficies ſecernens, in *enteritide* autem inflammatio ſedem ſuam in tunicis muſculoſis, et communi, potiſſimum habet.

Porro

Porro fabrica coli, et munera, quibus fungitur, ſunt ſatis ſingularia; eſt enim muſculus cavus cellulis inſtructus, per quem ſtercora tranſeunt, quorum ſtimulo in contractionem cietur: ſi hæc omnia perpendantur, ratio forſan præcipuorum dyſenteriæ ſignorum, quadantenus reddi poteſt: inflammatione enim hujuſmodi muſculi mobilitas, et vis irritabilis, plurimum augeantur oportet; hinc facile concipimus quare ſpaſmus ipſi inferatur: colon enim plus juſto irritabile, et ſentiens, ſtercoris ſtimulantis impatiens ſit, hinc in motus abnormes, et irritos ſe materia irritante expediendi niſus rapitur; hinc forſan torminum ratio reddi poteſt.

Colon et rectum magno glandularum mucoſarum numero inſtructa ſunt. Superficiei igitur inflammatio, et ſtercoris indurati ſtimulus, muci ſecretionem inſigniter augeat, et forſan acrem reddit: hic mucus inteſtino recto juſto jam irritabi-

liori

liori admotus, videtur cauſa teneſmi, et dejectionis frequentis mucoſæ; et ſanguis qui ſæpe comitatur, ex vaſis ſanguiferis ruptis, vel exeſis, provenit. Fabrica peculiaris coli et ſpaſmus, et forſan actio vaſorum reſorbentium irritatione aucta, ſtercoris indurati, et retenti, cauſæ videntur.

DE

DE DIAGNOSI.

Dyſenteria initio diarrhœam adeo interdum facie externa ſimulat, ut aliquando haud facile internoſcantur: diarrhœæ enim nonnunquam dyſenteriam progreditur, et dyſenteria interdum in diarrhœam deſinit: hinc quidam opinati ſunt hos duos morbos gradu tantum diſcrepare; hæc autem harum affectionum ſimilitudo fallax admodum rara eſt, et ſemper, uti crediderim, ſatis facile diſtingui poſſunt; in diarrhœa enim ſtercora naturalia ſemper dejiciuntur; ſed in dyſenteria paucis diebus elapſis, retinentur, et nunquam fere niſi forma globulorum induratorum, quæ ſcybala nuncupantur, excernuntur; huc accedit quod diarrhœa nunquam contagioſa ſit, et rariſſime quidem a pyrexia inchoat, quæ quidem res in dyſenteria penitus diverſæ

verſæ ſunt. Porro medicamenta his affectionibus accommodata fere contraria ſunt.

Nonnulli opinati ſunt choleram et hæmorrhoiden dyſenteriæ confundi: ſed rei noſologicæ admodum rudes ſint oportet, qui in tales errores incidunt: horum enim morborum definitiones a Culleno traditæ dyſenteriam ab his affectionibus clare diſtingunt. Nec aliud quidpiam ad nos a tali errore immunes præſtandum neceſſarium videtur, quam ut horum morborum definitiones memoria teneamus.

In hæmorrhoide fæces naturales excernuntur: in cholera dejectiones ſunt copioſæ, et magna bilis quantitate commiſtæ: in cholera gravi teneſmus vix adeſt; et in dyſenteria ſurarum ſpaſmi raro adſunt. Porro vel quod interdum in dyſenteria dejicitur, eſt ſignum potius adventitium, quam indivulſum.

DE PROGNOSI.

Judicium de eventu hujus morbi ſemper caute ferendum eſt; ſi tormina et teneſmus non levantur prima alvi purgatione, et vomitione medicamento vomitorio excitatis, præſertim in ægrotantibus debilitatis, exitus infauſtus timendus. Si enim hæc ſigna, alvo evacuata, non mitigantur, morbus malignus eſſe ſolet. Typhus morbo ineunti, aut progredienti ſuperveniens eſt ſemper mali ominis. Febris eſt aliquando ſynocha, cum ſignis gravis inflammationis evidentibus; et nonnunquam magna eſt in putredinem proclivitas, ex utrovis haud leve periculum. Signa quidem putredinis, qualia ſunt petechiæ, maculæ, vibices, fætor excretionum intolerandus, &c. peſſimi quidem omninis ſunt. Singultus morbo inveterato ſuperveniens eſt peſſimum ſignum, ſub morbi vero initium ſe oſtendens

parum

parum periculi ſecum adfert. Mors inſtare videtur, delirio, convulſionibus, pulſu parvo debili ac abnormi, ſenſu magnæ anxietatis in præcordiis, excretionibus urinæ et ſtercoris inſcio ægro elabentibus, et torminibus gravioribus ſubito ceſſantibus.

Si autem ſigna alvi purgatione brevi leventur, ſi dejectiones minus frequentes, et copioſiores fiant, et ſimul ſpeciem naturalem recuperent; ſi pulſus fiat tardior, mollior, ac plenior, ſi tormina et teneſmus mitigantur; ſi lingua munda fiat, ſi denique cibi appetentia et ſomnus redeant exitus felix ſperandus eſt.

RATIO MEDENDI.

Cum febris, quæ dyſenteriam comitatur, ſit in diverſis exemplis diverſa, modo typhus, modo ſynocha, aliquando intermittens, medendi conſilia diverſa ſint oportet. Qualiſcunque autem febris ſit, ſtercora indurata, quæ *ſcybala* nominantur, in aliqua inteſtinorum parte, plerumque vero in coli cellulis pertinaciter hærent, tormina et teneſmum augent et perpetuant, et diram ſignorum cohortem inducunt. Ad hanc pathologiæ jam traditæ partem clinici animus potiſſimum advertendus eſt. Primarium igitur medendi conſilium eſt *ſcybala* et materiam morboſam exinanire; quod vomitione et alvi purgatione abſolvitur. Morbi igitur initio medicamentum vomitorium præſcribendum eſt in omnibus exemplis in quibus diatheſis phlogiſtica gravis non fuerit; quando enim hæc res ita ſe habet,

bet, ſanguinis detractio præmittenda eſt. Ex medicamentis vomitoriis præcipua ſunt ipecacuanha, et quædam medicamenta ex ſtibio præparata, antimonium ſcilicet tartarizatum, et vinum antimonii tartarizati. Hæc autem medicamenta non temere præſcribenda ſunt; delectu ſemper opus eſt: vires enim remedii ægri viribus accommodari debent: ex ſtibio præparata, quippe quæ omnes fere excretiones inſignitur augent, vires mirum in modum frangunt, debilibus parum conveniunt, hinc in regionibus calidis, ubi corpus ſolvitur, et proclivitas in putridinem eſt velox, haud raro nocuiſſe obſervantur. Regionibus autem frigidis, ubi diatheſis phlogiſtica inſignis eſt, bene accommodantur; præſertim in quibus vires parum convelluntur; in hujuſmodi enim ægris feliciſſimos nonnunquam effectus præſtant.

Sub morbi igitur initium, ſi æger ſit debilis, ipecacuanha præſcribi debet, et vomitio chamæmeli infuſo promovenda eſt, et inter vomendum ſudor

lenis

lenis prorumpere ſolet, quæ quidem res, præſertim morbi initio, teſtante ZIMMERMAN, haud parum ad ſigna levanda confert; et igitur idoneo corporis calore ſervato promoveri debet.

Si ægri vires parum frangantur; præparata ex ſtibio anteponenda videntur; tubum enim alimentarium efficaciſſime exinaniunt ſurſum et deorſum: et ſimul curſum humorum ad cutem faciunt, res magni quidem in hoc morbo momenti, et minime neglectui habenda.

Ad alvum purgandam varia medicamenta cathartica commendata fuere: acriora olim præſcribi ſolebant; excultior autem medicina uſum eorum damnavit; et merito, peſſimos enim affectus haud raro ediderunt; et hinc tandem mitioribus ceſſerunt, qualia ſunt ſales neutri et cathartica oleoſa; illorum præcipua uſu comprobata ſunt ſoda phoſphorata, ſoda tartarizata, magneſia vitriolata, antimonium tartarizatum; horum princeps eſt oleum

ricini.

ricini. Hujuſmodi remediis alvus ſingulis diebus, vel omni biduo, vel triduo, prout res poſtulaverit, leniter laxanda eſt. Antimonium tartarizatum, et ipecacuanha quoque parvis doſibus, intervallis idoneis interpoſitis, eidem conſilio reſpondent. Soda phoſphorata, et ſoda tartariſata, juſculo ovillo, alio-ve qui magis arridet, ſoluta, cæteris ſalibus neutralibus multo gratiora ſunt: magneſia vitrolata, quippe quæ efficaciſſima ſit, et verminationem minus excitare feratur, quibuſdam clinicis anteferenda videtur. Vitrum antimonii cerati multum commendat CLEGHORN et Profeſſor HOME, credo autem cum Profeſſore GREGORY, qui omnia in prælectionibus ſuis divine exiquitur, antimonium tartarizatum vitro cerato anteponendum eſſe. Oleum ricini huic morbo optime accommodatur, modo blandum ac recens, opus enim ſuum brevi et leniter conficit. Rancidum vero tormina intendit. PRINGLE et HUXHAM rheum haud parum celebrant; ille quidam affirmat hoc medicamentum hydrargyro muriato miti conjunctum optime reſpon-

reſpondere votis; his in ægris qui dyſenteria verminoſa laborant, idem remedium ad vermes et ſcybala ſimul foras faciſſenda laudat.

Hydrargyrum muriatum mite multum commendatur quoque a Cel. CLARK, qui dicit ſe dyſenteriam tam recentem et acutam, quam inveteratam et vetuſtam, hujus medicamenti beneficio ſanaſſe, nec morbum unquam, uti poſt aliorum remidiorum exhibitionem nonnunquam evenit, recruduiſſe. Hoc medicamentum forma boli ex hydrargyri muriati mitis granis quinque, antimonii tartarizata grano dimidio, et opii pauxillo conflati. Ægrotante hora ſomni præſcribere ſolebat; ita enim adminiſtrandum monet, ut nulla alvi purgatio fiat. Si dejectiones poſt grana triginta vel quinquaginta hac forma ac doſi præſcripta ſpeciem ſuam naturalem non recuperant, opium omittendum, et medicamentum majori doſi, alvo ſcilicet purgandæ pari, præſcribendum ſuadet. Sic dyſenteriam ple-

rumque

rumque conſanari affirmat; quantitas medicamenti alia eſt in aliis caſibus: grana triginta, vel quadraginta, in pleriſque exemplis neceſſaria fiunt; modo autem quantitati multo minori morbum cedere idem eſt auctor.

Cum autem in dyſenteria inteſtinorum mobilitas mirum in modum intenditur, hoc remedium, exemplis, quæ ſolitis medicamentis cedere recuſant, præcipue accommodari videtur.

Alvi purgatione colluvies putrida foras faceſſitur, et ſic ſcybalis formandis occurritur, res quidem maximi momenti.

Si tamen tormina, vel quodvis aliud, non obſtante alvi purgatione, ſomnum arceant, hauſtus anodynus ſub noctem præcipiendus, ad tormina conſopianda, et ſomnum invitandum, præmiſſa tamen ſemper alvi exinanitione, ne ſcybala conatus no-

ſtros irritos reddant. Ad hunc effectum exoptandum haud parum conferunt remedia demulcentia, quæ inteſtina ab acrimonia defendunt: horum præcipua ſunt juſcula blanda, decoctum hordei, altheæ, &c. Lotiones emollientes, ex aqua tepida et oleo miti, vel juſculo blando conflatæ, quæ partes affectas fovendo, teneſmum et tormina obtundunt, et ſopiunt. Semper vero memoria tenendum clyſmata, ſive alvum ducentia, parum prodeſſe, niſi alvi evacuatio præmittatur ad ſtercora indurata expellanda. Hæc remedia, prout tormina et teneſmus puſtulaverint, iteranda ſunt.

Supra diximus ſanguinis detractionem eſſe omnino neceſſariam, quando diatheſis phlogiſtica urget; in dyſenteriis autem autumnalibus et æſtivis caute adhiberi debet; his enim anni tempeſtatibus, et præſertim in regionibus calidis, et humidis, mira eſt in putredinem proclivitas, ſi tamen inflammationis indicia manifeſta fiant; detractio ſanguinis ſub morbi initium præſcribenda eſt; et hoc

hoc quidem remedium nunquam omitti debet, præſertim in regionibus frigidis, et tempore verno, aut hiemali, in quibus diatheſis phlogiſtica dominari ſolet. In regionibus calidis ſanguis raro mitti debet; etiamſi enim ſigna hanc exinanitionem poſtulare videantur, poſt alvi purgationem remittere ſolent.

Nec minus ad debilitatem et proclivitatem in putredinem animus advertendus eſt; auxilia quibus hic loci fidendum, ſunt roborantia, ſtimulantia, et antiſeptica: inter medicamenta roborantia princeps eſt cinchona, quæ ſtatim poſt tubi alimentarii exinanitionem libera manu præſcribenda eſt; ſi alvum forte nimis cieat, quem quidem effectum nonnunquam edit, opii pauxilium ſimul præcipiendum. Vires roborantes aëris recentis, et frigiduli in ægri cubiculum admittendi minime obliviſcendæ ſunt; hoc enim remidium omnino neceſſarium eſt.

Stimulantium medicamentorum princeps eſt vinum; Burdigalenſe generoſum, Luſitanum rubrum, et Madeirenſe cæteris omnibus præſtant.

Porro qualiſcunque ſit corporis diatheſis, vel pyrexia, quæ dyſenteriam comitatur, epiſpaſtica abdomini, qua dolor ſentitur, imponenda ſunt. Hæc enim remedia inflammationi bene conveniunt, et ſæpe multum proſunt; curſumque humorum ad cutem dirigunt; et ſic exhalationem ejus inſigniter promovent, res haud parvi quidem momenti; quia in hoc morbo exhalatio ita reprimitur, ut SYDENHAMUS hanc affectionem febrim introverſam appellaverit: potus et balneum tepidum curſui humorum ad ſuperficiem dirigendo reſpondent. Sed horum remediorum adminiſtratio propter magnam debilitatem, et humorum in putredinem proclivitatem, caute adhiberi debet.

Munditiæ in omni quidem morbo, et potiſſimum in dyſenteria, ſummi eſt momenti; omnia i-

gitur

gitur excreta ſedulo ſummovenda, ſtragula ſæpe mutanda, et excretiones alvi et urinæ promovendæ ſunt lotionibus idoneis, et remediis diureticis; vinum Rhenanum aqua et ſacchari pauxillo dilutum, huic effectui bene accommodari videtur.

Tormina et teneſmus, quæ dirum negotium ægro faceſſunt, uſu opii et demulcentium mitiganda ſunt. Haud male huic conſilio reſpondet diæta idonea, potus ſcilicet blandus et copioſus, quale eſt decoctum hordei ſaccharo addito ad gratum ſaporem, et cibus ex materia imbecilla et media, qualia ſunt juſcula, ſago, et fructus horæi, uvæ ſcilicet, fraga, aurantia, &c.

Denique nobis obſervandum eſt, fructus, ſi acor ventriculi ſupervenerit, quod nonnunquam, morbo inveterato, evenit, haud eſſe permittendos; tuncque medicamenta antacida, potionem ſcilicet cretaceam, et roborantia indicari, bono Boerhavio aſſentientibus, qui profitetur, nullum ſe cognoviſſe remedium, quin ſolo tempeſtivo uſu tale fuerit.

F I N I S.